

Historia Ecclesiae Orientalis Recentior; Quaedam Ejus Capita Lætiora : Argumentum Disputationis Theologicae II. Compositum Ac Propositum

Halæ: In Typographia Orientali, [1751?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862181984>

Druck Freier  Zugang





a. B.
48. 6 §. 11.

63.

277
Fa - 1092 (63.)

1. Knapp de raptu et cruce Pauli
liber. prior
2. Knapp liber. posterior
3. Rambach de majestate Christi
divina.
4. Callenbergii historia ecclesiae
orientalis recentior I.
5. Callenbergii histor. eccles. orient II.
6. Michaelis de sapientia Christi.
7. Baumgarten de statu anima-
rum separatarum.
8. Baumgarten de fuga christi-
anorum.
9. Fecht de forma cateche-
seos paulinae.
10. Walch's Sammelungs-Buch
der Salzburgerischen Synodalien.
11. Reinbeck's Gesammelte
Gebäude Christi.
12. Baumgarten de omniprae-
sentiae vera notione.
13. Ελεϋλος spiritus sancti.
14. Carpzov de λογω Philo-
nis
15. Rufius de veris sinceri
sectatoris Christi requisitis.
16. Wachius de Lollaris
sae. XIII. testibus veritatis.
17. Resurrectionis Christi scopi.
18. Carponii program. pentecostale.
19. Buddens de unctioe
sacra N. Test.
20. Wernsdorffius de mystica
Theologia.
21. Freylinghausen encyclopaedia
exegetico-philolo. ad psalmum
XVI.
22. Pastores bethlehemitici
23. Boehmer program. sacrum
25. Michaelis demonstravit
quod substitutio victoria
in opere redemptionis non
adversetur perfectionibus Dei.
26. De falsis fictisque
religionibus.
27. Rus de introductione
in n. Test. generali.
28. Ihle de nominibus quibusdam
vet. et nou. Test.
41. Georgius de b. Lutheri
versione bibliorum
42. Vorrede, in die mit grös-
ter Sorgfalt und mit der
größten Genauigkeit
ausgegebenen ersten
Bände.
29. Freylinghausen. de cautionibus
quibusdam, quas probationes
dogmatum theologorum etc.
30. Baumgarten de immortalitate
Christi et christianorum
31. Baumgarten de idololatria
christianorum idololatria.
32. Michaelis de liminibus
syriacis.
33. Stiberitz de arca
foederis ordinaria columbae
navis et ignis sede.
34. Michaelis ferias pascha-
les religiose custodendas.
de statu animae Christi etc.

35. Gasperijs ultima
fata noachi est.
36. Jampert. Foedum
effectu respirationis
non carere demonstrat.
37. Juncker. de vera morbo-
rum diagnosi etc.
38. Büchnerus de analysi
phosphori urinae.
39. Juncker. de Chymi-
ficatione.
40. Struensee de in-
congrui corporis
motus insalubritate.

HISTORIA ECCLESIAE
ORIENTALIS
RECENTIOR;

QUÆDAM EJUS CAPITA LÆTIORA.

ARGUMENTUM DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ II.
COMPOSITUM AC PROPOSITUM

A

D. JO. HENR. CALLENBERGIO

THEOL. ET PHIL. PROF. PUBL. ORD.

EODEM PRÆSIDE

DIE DECEMBR. CIOCCCLII.

PUBLICICE DISCEPTABIT

JO. FRIDERICVS BACKIVS

FREYENWALD. POMERANUS.

HALÆ

IN TYPOGRAPHIA ORIENTALI.

INSTITUTIONES
ORIENTALES
RECENTIORUM

QUAE ADAM EIJUS CAPITA LATORIA.

ARGUMENTUM DISPUTATIONIS THEOLOGICAE
COMPOSITUM AD RE OPOSITUM

D. JOHANNES CALI ENBERGIO

THEOLOG. ET PHIL. PR. GR. PUBL. ORD.

EOD. DEM. RESIDE.

IN DIE DEC. MBR. CXC. CXXII.

PUBLICE DISCEPTABIT.

JO. FRIDERICVS BACKIVS

FR. W. A. D. POMERANUS

HAEC

IN THEOGRAPHIA ORIENTALI

§. VI. Ioanaes PLUSIADENUS, *Methonensis* episcopus, idiomate græcorum vulgari conscriptas, atque diebus ita dicti quadragesimalis jejunii accommodatas conciones euulgavit. Anno **cl̄CCCCLVIII.** calendis Augusti Georgius PHRANZES *Coreyre* monasticam vitam ingressus est, idemque uxor ejus, HELENA, fecit. Ille anno **cl̄CCCCLXXVII.** etiamnum in viuis erat. Rogatus a viris quibusdam nobilibus, historiam composuit rerum Byzantinarum, quæ ab anno **cl̄CCCCI** ad annum usque **cl̄CCCCLXXVII.** pertingit.

§. VII. *Trapezuntii* Imperatoris, Calojoannis, filia, DESPINA, quam patruus, David, *Usumicassani* nuptum dederat, in proficendo Christo constans fuit. Davidis filiam Muhammedi præceptor in matrimonio habebat: is illam muhammedanam reddere laboravit; sed frustra. Ideo repudiavit eam; victus tamen ipsi, quoad vixit, dabatur. Filia etiam Despinæ, MARTHA, *Harduellis*, reguli Persici, conjux, pro constanti Christi alumna habebatur.

§. VIII. Cum Gennadius, patriarcha constantinopolitanus, ex Ioachimo et Gregorio, monachis SINAITICIS, audiuisset, quædam circa eos, qui ad sacra montis Sinai loca frequentanda confluebant, non recte se habere, epistola monasterii, quod ibi est, abbatem et reliquos monachos compellavit, ostendens, quomodo hæc emendanda sint. Docet, Latinos, et Armenios, quamvis ab ecclesia græca se juncti sint, ab aditu tamen locorum sacrorum non esse repellendos; item, minutulis, quæ sint, in ritibus, differentiis non oportere attendi.

§. VIII. *Roma* sedem habebat BESSARION, purpuratus, cujus virtutes mirifice collaudantur. Pontificatum non solum ambire omisit; unde probrum a collegis jactatum est: illum nec preñsare, nec rogare quidem, sed e caelo expectare suffragia; tali sum-

D

mam

§. VI. *Bgr.* VI. 616. X. 424. 815. *Sagittarii* *Introduct.* in *Hist. eccl.* I. 36. §. VII. *P. Iouii* *Hist. rom.* I. 531. a. 532. *Hist. polit.* *Csp. in Cru.* 21. 61. (lin. 14.) §. VIII. *Bgr.* X. 379. *Mirifice* collaudantur, *Bærnerus* 61. 62. 81.

mam dignitatem non esse inculcandam: sed, cum diuerso tempore suffragia, quot sufficerent, pro ipso consentientia, maligne inuertentur, id etiam moderate tulit, nec boni animi robur beneque de ecclesia merendi studium frangi passus est.

§. X. Platina: „mortuo Nicolao V. - quorundam patrum et „optimorum suffragio pontifex designatur. Quantum vero obsit „maximis imperiis, prouinciis et ciuitatibus liuor atque inuidia, „comprehendi certe hoc loco potest. Quidam enim statim suborti „sunt, leues et *voluptati*, qui, Bessarionis integritatem et modestiam veriti, dicerent, suffragia, vitio inita, denuo repetenda esse, etc. Dolere nostram vicem et totius reipublicæ christianæ, „non ejus, debemus, quod tali caruimus principe: et hac potissimum tempestate, qua, præter externum hostem, qui ceruicibus „nostris armatus continuo imminet, auaritia, libido, ignorantia „Dei, atque bonorum hominum contemptus, intestina et grauissima „mala, nos urgent, opprimunt, enecant, nemine iuuante. Hoc „Pontifice indigebat religio christianâ, lacerata non minus a vitiis „nostrorum, quam ab externo hoste, ut aliquando respiraret: hunc „pontificem mores nostri requirebant, omni ex parte labefactati.

§. XI. Plura illum pertulisse aduersa vel hoc exordium Platina, quo laudibus ejus præfatus est, indicat: „Si unquam tempus „fuit, Quirites, quo veterem græcorum morem, latinorum prope „nouum, repeteremus, id certe hac miserrima tempestate faciendum est, qua vel maxima quæuis virtus, candidissimum quodque „ingenium, excellens quantumuis doctrina et eruditio, emergere „ex tanta caligine et ignorantia vix potest. Tolerabilius profecto „videretur, si virtuti, a paucis cognitæ, si in arcanis et penetrabilibus, quia tuto vagari non licet, cultæ, saltem quiescere sine injuria liceret: non etiam quorundam hominum liuore et maleuolentia opprimeretur. Instant dolo, fraude, malitia, vique postremo, quando hoc occulte moliri, conari non licet; spargunt invidentiæ suæ opacas umbras; conceptam rubiginem circumqua- „que

Ex parte labefactati. *Platina Panegyricus in laudem Bessarionis.*
Bernerus 91. 50. 56. 57. 58.

que fundunt, quo suauissimas herbas et feraces plantas occupant
et enecent, ne, si expectatos odores et suauissimos fructus aliquan-
do ediderint, ipsi, tanquam infructuosæ et infelices arbores, ex-
scindantur. Iouius hoc speciatim memorat: Sixtum III. qui Bes-
saroni, inuersis suffragiis, prælatus fuerat, cum noua licentia pon-
tificatum nomine principatus gerendum existimaret, illius, libere
et grauitè religioseque sententias dicentis, vultum non potuisse per-
ferre, ac ideo eum in Galliam ablegasse.

§. XII. Conciliandæ inter græcam latinamque ecclesiam paci-
studuit. Miseratus græcorum calamitatem, multa numum mil-
lia aureorum pro redimendis captiuis expendit. Libris, præ-
sertim græcis, copiose instructam bibliothecam, triginta milli-
um numum aureorum in eam facta impensa, Venetiis, utpote
ubi ea uti græcis commodissimum esset, donauit, epistola anno
c1600 ad Senatum scripta, in qua hæc leguntur: Equi-
dem semper, a tenera fere puerilique ætate, omnem meum la-
borem, omnem operam, curam studiumque adhibui, ut, quos-
cunque possem, libros in omni disciplinarum genere compararem.
Propter quod non modo plerosque et puer et adolescens manu mea
conscripsi; sed quicquid (etiam) *numulorum* parca interim frugali-
tas seponere potuit, in his coëmendis consumsi. Nullam enim ma-
gis dignam atque præclaram supellestem, nullum utiliore præ-
stantioreque thesaurum parari mihi posse existimabam: quippe
pleni sunt libri moribus, pleni legibus, pleni religione, etc.
Quamuis autem *in hanc rem* toto semper animo incubuerim, ar-
dentiori tamen studio, post Græciæ excidium, et descendam By-
zantii captiuitatem, in perquirendis libris græcis omnes meas vires,
omnem curam, omnem operam, facultatem, industriamque con-
sumsi. Verebar enim, et vehementissime formidabam, ne, cum
cæteris rebus, tot excellentissimi libri - breui tempore periclitaren-
tur atque perirent, etc. Cæterum, quum hæc mente sæpe repe-
terem, parum desiderio meo satisfacisse videbar, nisi pariter pro-
viderem, ut libri, quos tanto studio ac labore collegeram, me vi-

D 2

vo

Arbores excindantur. *Platina Panegyricus, et Iouius apud Bernerum. 81. 58. not. Captiuis expendit. Bgr. X. 401. Platina Paneg. in Bessaronem 65.*

»vo, ita collocarentur, ut, etiam defuncto, dissari, alienarique
 »non possent, sed in loco aliquo, tuto simul ac commodo, ad com-
 »munem omnium, tam Græcorum, quam Latinorum, utilitatem
 »seruarentur. Hoc igitur cogitanti mihi - sola tandem vestra in-
 »clyta atque amplissima ciuitas occurrit, in qua animus meus omni-
 »ex parte conquiesceret. Primo enim non videbam, quem locum
 »eligere tutiorem possem, quam eum, qui æquitate regitur, legi-
 »bus tenetur, integritate ac sapientia gubernatur; ubi virtutis, con-
 »tinentiæ, grauitatis, iustitiæ, fidei domicilium est; ubi imperium,
 »ut maximum est atque amplissimum, ita æquabile et moderatum,
 »animi in consultando liberi, nulli libidini, nulli delicto obnoxii;
 »prudentes imperii clauum tenent, et boni malis præferuntur, ac,
 »priuatorum commodorum obliti, totum corpus reipublicæ unani-
 »mi consensu et summa integritate procurant. Ex quo sperandum
 »est, ciuitatem vestram, quod optamus, in dies magis et vires et no-
 »men propagaturam. Dehinc intelligebam, nullum locum a me eligi
 »posse commodiorem, ac nostris præsertim hominibus aptiorem.
 »Quum enim in ciuitatem vestram omnes fere totius orbis nationes
 »maxime confluant: tum præcipue Græci, qui e suis prouineis, na-
 »vigio venientes, Venetiis plurimum immorantur; ea præterea vo-
 »biscum necessitudine deuincti, ut, ad vestram appulsi urbem, quasi
 »alterum Byzantium introire videantur.

§. XIII. Theodorus GAZA, Rome etiam diu commoratus,
 a modestia laudatur; ejusque hoc memoratur specimen, quod, cum
 Aristotelis *Naturalia* et *Moralia* Argyropulus in latinum transtulisset
 sermonem, ipse quædam a se pariter conuersa combusserit, ne
 crescenti famæ hominis, elate ambitiosi, et altioris fortunæ percu-
 pidi, officeret, habens existimationem, quod ederet, aliorum scri-
 ptioni præstare: raro sane exemplo, eruditus viris, ejus quoque or-
 dinis, quorum sensum Christi disciplina et exemplo curatius con-
 formatum esse oportebat, simili casu longe aliud agentibus, ut sua
 crescat, alterius vero fama imminuatur.

§. XIII.

Introire videantur. Bgr. X. 404. Barnerus. 64. 100. 101.
 §. XIII. Iouius apud Barnerum. 146.

§. XIII. Demetrio CHALCONDYLÆ, cui Florentia sedes obtigit, id laudis tribuitur a Jouio: supra Græcorum mores nihil in eo fallaciarum aut fuci notatum, virum utique lenem fuisse, et probum. Stephanus Niger, diu in eius disciplina versatus, et unus ex intimis familiaribus, ait: tantam ejus esse integritatem; tantam eruditionem, tantam frugalitatem, tam candidos mores, ut ætatis suæ mortalium nemini postponendus esse videatur.

§. XV. Messana quem habuit, Constantium LASCAREM, Aldus Manutius dicit, bene semper beateque vixisse. Reyna, sacris eum ordinibus initiatum ac sacerdotem fuisse, conjectat, his potissimum allatis rationibus: optimum sanctissimumque virum a Bembo vocatum esse; ipsum, in præmio libri III Grammaticæ suæ, inanis gloriæ et diuitiarum contentionem, ac singulare aliorum commodis inseruendi studium professum esse, et præ se ferre; hujus autem generis virtutibus sacri ordinis viros plerumque solere esse exornatos. Illud in medio relinquimus; hoc utinam plene esset verum!

CAPVT X.

Ab anno c̄l̄cccc̄LIII. ad annum vsque c̄l̄cccc̄LXXXV. Ecclesia græca; profecta ab hac ad occidentales: intuitu eruditionis; litteraturæ græcæ; generatim, et speciatim docendo illatæ in Italiam.

§. I.

Supra vidimus profecta ab aliis populis ad Græcos bona; nunc, quid ab his ad illos peruenerit, considerabimus. Tum græca litteratura late cœpit propagari, profugis e ruitura seruaque patria viris eruditis passim per Europam litteras suas commendantibus, docentibus, ac haud vulgarem consequentibus applausum. Post Emanuelem Chrysoloram, Byzantium, historiæ nostræ principio antiquiorem, qui inde ab anno c̄l̄cccc̄II. primus dudum in occidente extincta studia græca resuscitauit, in illorum numero fuerunt BES-

D 3

SA-

§. XIII. Barnerus. 186. 183. §. XV. Barnerus. 174. not.

Passim per Europam. Conferatur ven. Christiani Frid. BOERNE-

RI,

SARION, Trapezuntinus; Georgius TRAPEZUNTIUS, Cretenfis; Theodorus GAZA, Theſſalonicenſis; Ioannes ARGYRO-
ROPULUS, Michaël APOSTOLIUS, Andronicus CAL-
LISTUS, Conſtantineus LAſCARIS, Byzantini; Demetrius
CHALCONDYLES, Athēniēſis; Georgius HERMO-
NYMUS, Spartiata; Janus LAſCARIS Rhyndacenus.

§. II. Fugæ viam reliquis BESSARION monſtraſſe puta-
tur; de nonnullorum profectione hæc memorat Theodoſius Zygo-
malæ: „intellexiſti ex episto-
la - urbe capta, ciues ejus, alium alio
„diſperſos fuiſſe. Imo etiam aliquanto ante expugnationem mul-
„ti nobiles, doctique viri, quod futurum erat, prævidentes, urbe
„exceſſerunt. Atque, ſicut per traditionem velut manuum acce-
„pi, Conſtantineus Laſcaris, cum tota familia, et cum aliis, Meſſa-
„nam Siciliae nauigauit; Theodorus Gaza Romam verſus ſe contu-
„lit; Chryſoloras, aliique docti, et Grammatici, alio, quo cujus
„que animus ferebat: nec experti ſunt expugnationis atrocitatem.

§. III. Inter pontifices NICOLAUS V. prouehendis, quæ
ab exilibus excitabantur, ſtudiis multum operæ impendit. Poſt
alios hunc calamitatis orientalis fructum agnouit Elingius, ſcribens:
„Ut expugnatione illa Conſtantinopoleos Græciæ et toti ferme ori-
„enti maxime funeſta ac exitialis erat, ita aliis prouinciis ac regnis
„valde ſalutaris ac fructuoſa. Nam multi viri, eruditione clari, in
„Italiam, alteram poſt Græciam ingenuarum artium matrem, ob
„Ita-

RI, theologi Lipſienſis, de doctis hominibus Græcis, litterarum
græcarum in Italia inſtauratoribus liber, Lipſiæ editus anno
cllcccl. Abſoluto jam opusculo, ſola ſtyli emendatione exce-
pta, inuente autumno clclcccl. iſte a me perluftratus eſt; mo-
am vero ſcriptionem circiter anno clclcccxxxlll. elucubrare ce-
pi. Necdum mihi contigit videre Humphredi Hodii, Græcæ lin-
guæ profeſſoris Oxon. de Græcis illuſtribus, linguæ græcæ, lite-
rarumque humaniorum inſtauratoribus, eorum vitis, ſcriptis
et elogiis libros duos, cura Sam. Jebb. Londini 1742. typis ex-
ſcriptos.

§. I. Hermannii ab Hardt Memoria Chryſoloræ Byzantini. Theod.
Zygomala in Cru. 90. f. §. II. El. 333. Cru. 90. m.

effertam Turcarum crudelitatem e Græcia exulatum veniebant, ut
ibi tutum sibi et Musis receptum ac perfugium quærent.

§. III. Recipiendæ in Italiam, ex qua tot sæculis exulauerat,
græcæ litteraturæ præcipue illustri gens Medicea patrocinabatur,
in natali Francisci Petrarchæ solo, a quo superiori sæculo jactum cultio-
rum litterarum semen nunc largius herbescens edidit viriditatem.

§. V. Iactis apud Venetos a Chrysolora fundamentis plura superstru-
erunt ejus disciplina formati doctores, Franciscus BARBARUS,
Venetus patricii generis, Hermolai auus; PHILELPHUS et
GUARINUS, alii. Apud Florentinos fundatæ a Chrysolora,
qui Venetiis huc venit, scholæ, continuatæque ab ejus alumno, Leon-
hardo Bruno Aretino, successit Ioannes ARGYROPULUS,
Hunc Cosmus Medicus Petro, filio, nepotique, Laurentio, instituen-
dis præfecit, ac publicum ei erudiendæ græcis litteris Florentinæ ju-
ventutis munus demandavit. Paulo ante Argyropuli discessum, aut
non ita multo post, huc commigravit Andronicus CALLISTUS,
et aliquot annos easdem docuit litteras. Desertam ab Argyropulo
spartam nactus est Demetrius CHALCONDYLES, eam tamen
simul occupante Angelo Politiano, qui Argyropuli fuerat alumnus.
Hic PHILELPHUS quoque aliquantisper docuisse fertur. Me-
diolani inchoatam a Chrysolora institutionem continuarunt Franci-
scus Philelphus, et Constantinus Lascaris. Duravit etiam schola, quam
Chrysolora Ticini condiderat, quæque Petrum Philargum, Cre-
tensem, habuerat doctorem.

§. VI. Excitatum Romæ a Chrysolora, huc Florentia profecto,
Græcæ linguæ studium mirifice pronexit BESSARION, Geor-
gius Trapezuntius, Argyropulus. Ad Bassarionem græci exules confugie-
bant, et habebat domi græcæ doctorum virorum conuentus. §. VII.

§. III. Platina, 288. El. 331. §. III. Trithemius de script. eccl. cap.
622. Erasmus in Ciceroniano, 88.

Guarinus, alii Bgr. X. 392. El. 332. Berner. 8. 106.

Docuisse fertur. Simoncell. in Somnio, apud Bzou. ad annum
1413. §. 24. Cru. 58. lin. 3. Laur. Rifebergii Rerum turcica-
rum Relatio, Helmstad. 1596. 107. El. 332. 335. Bgr. X. 392.
425. Bernerus. 8. 139. 167. 181. 182. 184.

Habuerat doctorem. Bzou. ad annum 1402, El. 332. Bgr. X.
392. Bernerus. 8. 9. 171.

§. VII. Platina ait: „frequentabant - ejus domum, plenam religionem, comitate et gratia, plenam ingenii, tum græcis, tum latinis, viri ex tota curia doctissimi. Item: familiam domi alit, in utraque lingua eruditissimam, et in quavis facultate doctissimam. Vestri illi majores, Quirites, viros doctissimos in contubernium suum recipiebant, discendi et philosophandi causa etc. Hæc autem Bessarionis sit præcipua laus, quod suos non religione tantum, et moribus ad bene viuendum instituit, verum etiam literatura, eruditione, doctrina ita imbuit, ubi a negotiis publicis vacat, ut inde, quemadmodum quotidie cernimus, multi et quidem docti, tanquam ex equo Trojano, ut de Isocrate ait Cicero, continue prodeant, ac plures prope, quam ex reliqua romana curia.

§. VIII. In contubernio ejus expoliti inter alios fuerunt Nicolaus Perottus, archiepiscopus; Theodorus Gaza; Ioannes Gattus, theologus, philosophusque; Valerius Viterbiensis, medicus; Andronicus. Die XV. Nouembris c1000cLXXII. Rauennæ in itinere vitam cum morte commutauit.

§. VIII. De GAZA id memorat Platina: „omnes bonarum artium studiosi, de aliqua re ambigentes, hunc adeunt ex tota civitate, ut oraculum totius eruditionis ac disciplinæ. ARGYRO-PULUS ultimam hic ætatis particulam, græcas tradens litteras, exegit, anno c1000cLXXX mortuus.

§. X. Sed satis pro instituto dictum puto de sedibus potioribus, ubi constitutum a Chrysolora græcarum litterarum studium a Græcis exulibus, horumque alumnis conseruatum est, atque amplificatum. Nunc videbimus, quibus locis aliis hi ad eandem litteraturam patefecerint aditum. Singuli plerorumque ejus doctorum diuersis locis instituta-

§. VIII. Platina in Panegyrico in Bessarionem 61. 64. Cru. 4. med. 5. in it. El. 332. Bgr. X. 401. §. VIII. Platine Panegy. 65. Cru. 90. f. El. 333. 334. 336. Bgr. IX. 69. 192. 193. X. 425. 70. et not. (b.) 723. Bernerus. 8. 9. 48. 62. 106. 108. 109. 141. 166.

stitutionem præbuerunt; exempli gratia, ARGYROPULUS, Chrysoloræ discipuli, GUARINUS; et Franciscus PHILELPHUS, Anconitanus. *Senensibus* et *Bonensibus* institutionem ministravit Philelphus, *Ferrarienses* erudiit Guarinus, et GAZA. *Neapoli* aliquandiu commoratus est, rege Alphonso V. Georgius TRAPEZUNTIUS, animo Nicolai V. pontificis, offenso. Ante annum c̄ccccCLXV. magnis præmiis a Ferdinando I. qui anno c̄ccccCLV. regnare cœpit, inuitatus Constantinus LASCARIS Roma in eandem se urbem contulit ibique omni laude patriam linguam professus est. In *Calabriam* se recepit GAZA, senex, ad percipiendos sacerdotii reditus, atque hic anno c̄ccccLXXXVIII. vitam finiuit.

CAPVT XI.

Ab an. c̄ccccLIII ad annum usque c̄ccccLXXXV.

Ecclesia græca; profecta ab hac ad occidentales: intuitu litteraturæ græcæ, in alias Europæ regiones docendo illata; et librorum apparatu instructa: item respectu aliarum eruditionis partium.

§. I.

AP Italia ad alias regiones progredimur. *Messanæ* deprehendimus Constantinum LASCAREM, frequentis scholæ græcæ doctorem; qui anno c̄ccccCLXV. *Neapoli* reliqua, huc profectus est, et ad vitæ usque finem commoratus.

E

§. II.

Philelphus Anconitanus, *Zygomala in Cru. 90. f. Chy. 10. Genebrardi Chronol. 722. El. 332. 334. 335. 339.*

Vitam finiuit. *El. 336. 332. Reuchlinus in præf. Rudim. suorum hebr. Bgr. VIII. 193. Bernerus, 109. 122. 126. 172.*

§. I. *Messanæ, Zygomala in Cru. 90. fin. Bernerus, 172.*

§. II. *Lutetia* Parisiorum doctores habuit, Gregorium TY-PHERNATEM, Italum; Georgium HERMONYNUM, Spartiatam, ANDRONICUM CALLISTUM. Typhernas, a Chrysolora excultus, decretoque concilii Vienenfis nitens, anno circiter c10CCCCLXX. academiæ Parisiensis rectori indicavit, sibi propositum esse litteras græcas profiteri; atque eo nomine postulavit stipendium. Demirabantur omnes hominis peregrini, nec ab academia accersiti, audaciam. Cum autem ille urgeret decretum, in quo Scholæ etiam Parisiensis mentio fuerat facta; rectorque ad senatum rem retulisset: introducta in scholam illam fuit ea professio, eique demandata. Hermonymus inter auditores habuit Guilielmum Budaum. Regnante etiamnum Ludouico XI. in Hermonymi locum et stipendium successit Andronicus CALLISTUS.

§. III. In *Angliam* græcas litteras intulit Ioannes PHREA, Londinensis, philosophus et medicus, qui anno c10CCCCLXV. vita excessit *Basileæ* eo circiter temporis spatio, quod annis c10CCCCLXXI et c10CCCCLXXX. circumscribitur, græcam scholam habuit ANDRONICUS Contoblaca.

§. IIII. Ioannes WESSELUS, genere Westphalus, at *Groningæ* anno circiter c10CCCCXVIII. in lucem editus, præ amore græcæ linguæ Græciam adiisse dicitur; id certum est, *Lutetiæ Parisiorum*, *Basileæ* et *Romæ* ipsum aliquandiu commoratum esse. Sixto IIII. qui anno c10CCCCLXXI. ecclesiæ præesse cœpit, ei, familiari suo, optionem dante, ut a se, quod veller, peteret, pro
epi-

§. II. *Reuchlinus in præf. libri III. Rudimentorum hebraicorum: et in epistola ad Iacobum Fabrum stapulensem apud Naudeum in Additamento ad Historiam Ludouici XI. c. 7. Genebrardi Chronol. 772. Six. Ama. Par. en. 197. apud Hot. 151. Rich. Simon. Critique de la Biblioth. eccles. par Mr du Pin, tom. I. 502. 512. El. 339. Ms. 99. Bgr. X. 758. Bernerus. II. 142. 164. n. 191-195. Vita excessit, ex Hot. 153. ex Baleo. 614. Contoblaca. Reuchlinus in præfatione lib. I. Rudimentorum hebraicorum Genebr. 722.*

episcopatu sacri codicis hebræi græcique expetiit exemplar. Deinde in patriam reuersum anno cl^oCCCCLXXVII. Philippus, elector palatinus, *Heidelbergam*, cuius emendabatur academia, accersuit. Hic lum alias, tum græcas quoque litteras docuit.

§. V. Rudolphus AGRICOLA, pago prope Groningam sito, oriundus, præceptorem habuit Weselum, arreptamque ex ore ejus doctrinam in variis peregrinationibus, etiam anno cl^oCCCCLXXVI. Ferrariæ in Gazæ schola, valde auxit. Jovius ita illum laudavit: „haufisti, Rodolphe, ebraicas græcasque litteras, adeo stupenda celeritate, ut nequaquam Groningæ in Frisia, sed Hierosolymis ac Athenis natus, et educatus credereris. Is anno circiter cl^oCCCCLXXXI. præceptore digressio, græcos, *Heidelbergæ* explanare cœpit autores; sed anno cl^oCCCCLXXXV. e vita exiuit.

§. VI. Felicitior tum Germaniæ præparabatur Græcæ litteraturæ inferendæ administer, Ioannes REUCHLINUS, Pfortzheimi in agro Badensi anno cl^oCCCCLV. in lucem editus; quem passim græci, horumque alumni instituebant. Basileæ scholam frequentavit Andronici Contoblacæ; Lutetiæ Parisiorum a Typhernatis discipulis anno cl^oCCCCLXXIII. amplius initiatum nactus est alumnum Georgius Hermonymus. Argyropulum Romæ audiuit, cum hic Thucydidem explicaret. Magister, discipuli explorato profectu, præsentibus summæ dignitatis viris, exclamasse dicitur: „eheu, nostro exiliò Græcia transuolauit Alpes.

§. VII. At non solum institutione, quam multis locis administrabant exules, Græca per Occidentem communicata fuit litteratura, sed paratum quoque ejus præsidium est, quod libris continetur. NICOLAUS V. Byzantio capto, magnis sumptibus ex Græcia per mercatores clam libros conquisiuit. Janus LASCARIS eodem consilio bis in Turciam, Laurentio Medice præben te subsidia, et Bajatis II. conciliante animum, profectus est; primum saltem iter

E 2

inter

§. III. *Altingii Historia Palatina msc. apud Hot. 39.*

§. V. *Hot. 41. 152. Bernerus. 123.*

§. VI. *Reuchlinus in præf. libr. I. et III. rudimentorum hebraicorum Hot. 152. Bernerus. 141. 142. 194.*

inter annos sæculi hujus LXXX et LXXXV I factum esse videtur. Satis multa secum volumina apportavit.

§. VIII. Inter custodes et librarios Vaticanæ bibliothecæ, a SIXTO III. mensuris instructos salariis, quæ non tantum victui sufficerent, sed augendæ etiam suppellectili litterariæ, græci quoque commemorantur.

§. VIII. Magna pars virorum doctorum, non Græcorum solum, sed Italicorum etiam, in græcis autoribus poliendis, latine reddendis, illustrandis et edendis versabatur. Ad libros e græco sermonem in latinum vertendos, Nicolaus V. operam conduxit Georgii TRAPEZUNTII, GAZÆ et aliorum. Nonnulli, ac in his ARGYROPU-
LUS, sua sponte ejusmodi versiones composuerunt. Inter reliquos ecclesiastici etiam scriptores conuersi sunt; Trapezuntius *Eusebii de præparatione euangelica* opus translulit. Septimo hujus sæculi decennio Constantinus LASCARIS in concinnanda Grammatica græca occupatus fuit.

§. X. Recens inuentæ typographiæ beneficio Græci quoque libri euulgari cæpti sunt. Anno c^oCCCCLXXVI. Grammatica græca LASCARIS Mediolani per Dionysium Parauisinum excusa est. Manuelis CHRYSOLORÆ libellus grammaticus, Erotematum titulo insignitus, anno c^oCCCCLXXXIII. Venetiis græce et latine euulgabatur.

§. XI. „Exilio Græcorum inquit Melanchton, in Italia non modo græcæ linguæ studia excitata sunt, sed etiam restitutæ ceteræ artes, quarum vix umbram quandam antea tenebant latini, „ Illorum præcipua opera factum est, ut frangi hac ætate cæperit Aristotelis et Scholasticorum imperium, quo tantum theologiæ allatum fuit vitium. Venerandus MOSHEMIUS hoc paucis ita eloquutus est: „ante Græcorum in Italiam aduentum unus omnibus in deli-
„ciis

§. VII. *Risebergius in Rerum turcicarum Relatione*. 107. El. 337. *Bærnerus*. 64. 201.

§. VIII. *Middendorp. Academ. lib. III.* 619.

§. VIII. *Hot.* 157. *Kor.* 660. *Bgr.* X. 724. 280. f. VII. 32. *Bærnerus*. 107. 114. 113. 123. 148.

§. X. *Bgr.* VII. 32. X. 280. f. *Bærnerus*. 20. 176.

habita. Contra vero a vitiis deterrentur ii, non prorsus virtutem
aspiciuntur qui, effrenata cupiditate ducti, petulanter, audacter,
proterue ad vitia declinarunt; cum perpetuas notas dedecoris et tur-
pitudinis frontibus suis inuri ab his vident, qui scriptis rerum ge-
starum seriem, qui mores et vitam hominum, memoriæ posteritatis,
ad utilitatem humani generis, commendant.

§. II. Quum expugnationem Constantinopoleos orientalisque,
quod christiani habuerant, imperii destructionem ingens orbis christi-
ani sequeretur luctus; non deerant viri pii, qui ex calamitate hac
oritura bona, memoratis majora, sperarent. Dionysius CAR-
THUSIANUS aliquanto post Deum ita introduxit suos conso-
lantem: „Ego demum tam bonus et sapiens sum, ut pessima ma-
la, quæ tangis, a perfidis (*Turcis*) fieri, nequanquam permetterem,
„nisi decreuissem, maxima bona ex eis elicere. Et quo majora sunt
„hæc aduersa, quo obscuriora sunt tempora ista; eo prosperiora se-
„quentur, et aurea posthac erunt tempora. Non ita permetterem ec-
„clesiam deprimi, nisi hæc occasione vellem eam erigere. Ecclesia ad
„extremam quandam deformationem, ruinam, peruersitatem, in-
„gratiquæ animi labem peruenit, nec facili disciplina potest purgari.

§. III. Boni prudentesque in Europa viri usi sunt horrendo ex-
cidii Constantinopolitani exemplo ad christianos a vitiositate deter-
rendos. Est inter illos idem Dionysius Carthusianus, qui librum,
hujus generis dehortamenta continentem, paullo ante annum
c1000cCLXV. composuit. Pessimam christianorum vitam, a qua
iplos, proposita Byzantinorum punitione, deterret, his inter alia ver-
bis descripsit, Deum inducens loquentem: „Qui optimi esse debe-
„bant (in ea ecclesia) prauissimi facti sunt, et sine rubore præuarican-
„tur. Sed nomen quoque meum intolerabili modo honore priuatus
„ab his, qui fideles se nominant, quam ab his, qui eos impugnant.

§. IIII. Principum et clericorum virorum ita Dei nomine deplo-
rat vitia: „Pastores in lupos sunt versi, *antistites facti sunt* (animo)
„elati, principes *eueriores*. Imperator violator, Reges exleges, do-
„minâ

§. II. Dionysius Carthusianus 585. §. III. L. c. 560. 566. 585, 588.
589. etc. 597.

„mini facti sunt tyranni. Et qui majores sunt autoritate, magis abundant omni iniquitate. Qui ecclesiam copiosius *exstruere debent*, eam *detestabiliori exemplo ad improbitatem sollicitant*, et *sedant*. Qui eam ab inuisibilibus ac visibilibus hostibus *tueri debebant*, inuisibilibus hostibus eam pollendam ac deuorandam prosterunt: nec a visibilibus perfidis hostibus eam tuentur, imo, quod magis deplorandum est, ipsimet visibiles hostes ecclesiae sunt effecti, eamque in locis pluribus demoliuntur, christianum sanguinem fundunt, oves Christi dilaniant, urbes, pagos, *propugnacula christianorum dejiciunt*, et contra me coniuurasse videntur. Ecce, quomodo ad perdendas animas *socii opera demonum*, adiutores incredulorum et amici inimicorum meorum effecti *sint*. Quicquid docui, spernant; quicquid praecipui, *id pertrumpunt*; quicquid feci, hujus contrarium *perpetrant*, atque cum sceleratissimis et obstinatissimis Judaeis, opere (loquente,) dicunt: Verbum, quod locutus est nobis Dominus Deus noster, non audiemus; sed - faciemus - quod egreditur de ore nostro. Voluptatibus carnis resoluuntur, rebus terrenis insatiabiliter inhiant, ambitione instar fornacis succensunt. Superbiae cornibus eriguntur, obedientiae iugum abjiciunt, tanquam onagri in deserto (loco,) ventum attrahunt vanitatis. Saeviunt, ut leones; rapiunt ut falcones; opprimunt *subjectos*, velut vrsi. Ex causa levissima *ob hereditatem tenuissimam*, propter acceptam iniuriam, eamque *permodicam* contra se inuicem inflammantur, et concitant pugnas acerrimas, multaque millia *subjectorum* corporali ac spiritali morti exponunt.

§. V. Clericis viris generaliter suam his verbis exprobrat vitam: „jam inde ad tam extremam et lamentabilem sui deformationem, ruinam, *cacitatem*, et ad tot male consuetudinis corruptelas devenit ecclesia, quod ad *scortatus*, adulteria, sacrilegia, stupra et consimilia crimina eorum, qui magis, quam ceteri spirituales et perfecti esse debent, vix attenduntur (animi.)

§. VI. Deinde per illorum classes it: „Qui Deum pro populo efficacius orare debebant Deum, honore priuant effusus. In monasteriis

steriis vota solennia assidue ac fecleratissimo violantur; claustra monialium scortis patent. In collegiis suscepta norme custodia pene nulla videtur. In sacris constituti ordinibus et plebani sine refrenatione (sui) publica se libidine polluant. Unde plebs simplex infabiliter ad peccandum sollicitatur. Præsules secularibus principibus vaniores et rerum, quæ sensus titillant, studiosiores sunt facti.

§. VII. Romanæ curiæ breuiter, sed grauiter quoque indicat mores: „in urbe, ubi totius sanctimonix plenitudo - *vigere debebat*, „major quam alibi, vitiositas regnat.

§. VIII. Allata regnantium tum victorum mentione, quam Carthusianus habet, dehortantis quoque audiamus vocem, cladis constantinopolitaneæ exemplo roboratam. Admonet populum christianum: „Non jam probare, sed *cum deploratione profari oportet*, quod summe necessarium nunc fit, ut uniuersus populus christianus, a summo usque ad infimum, cum omni *nisu*, feruore ac vigilantia se emendet: eo quod ecclesia non solum ab inuisibilibus hostibus, sed a *perfidis* quoque Machometi cultoribus tam miserabiliter sit calcata; et, quod sanguineis descendum est lacrymis, nunc quatuor patriarchales ecclesiæ ab illis vastatæ sint. Qui - *audacissime incogitant*, se romanam quoque ecclesiam, ac romanum imperium suæ ditioni subjecturos. Et certe tanta (*jam*) est - occidentalis hujus ecclesiæ deformatio ac ruina, tanta christiani populi hujus vitiositas atque corruptio, ut - *grande periculum, strages ingens, dejectioque maxima* non mediocriter sit *verenda*, nisi ecclesia ea vehementer se corrigat, christianusque populus, *potissimum antistites* cum clero, ac principes et *ministri* eorum se in omnibus *digne emendent*.

§. VIII. Et paullo post: „conuertat se unusquisque ab omni malitia, nequitia, et immunditia sua (ad Deum.) Nolite dissimulare, nolite dissimulare: quia periculum majus, quam creditis, in foribus est. Perfidis illi mille dolos contra vos *excogitant*, et *vobis* machinantur interitum. Pensate, qualiter fratres vestri in regno græcorum sint conculcati; et cauetes, ne similia, aut pejora vobis contingant.

§. X.

§. VI. L. c. 580. §. VII. Ibid. §. VIII. L. c. 560. §. VIII. L. c. 580.

§. X. Tum se, tanquam alium, cum Deo memorat colloquen-
tem: „petimus, ut *summa cum misericordia* agas nobiscum. Cui
„Dominus ait: Et vis, ut tot et tanta scelera ecclesie *relinquam* pro-
„fus inulta? *etc.* Hoc ipsum quoque *testatur* sum, maximam esse
„misericordiam, quod per flagella et aspera visito in presenti, sicque
„homium corda admoneo et (*ad me*) conuerto. Indurata sunt cor-
„da vestra; nec per sola pietatis beneficia vultis conuerti ad me. Diu
„sustinui. Frequenter admonui, et imminuentia hæc aduersa prænun-
„tiaui: et *quia* non sequitur emendatio; necesse est, ut visitem, per
„aduersa, *quo* vexatio tandem det intellectum auditui. Ad hæc fra-
„ter respondit in spiritu: o - dulcissime Deus! etsi nos omni misera-
„tione tua sumus indigni, tamen parce nomini tuo magno, parce lo-
„cis sacratis. Ecce jam multæ *ades sacra* miserabiliter sunt destructæ,
„loca sanctissima profanata, vasa sacra et Christi sacramenta impiissi-
„me conculcata, et christiana religio *maledictis* afficitur. Ad quod
„Deus (*respondit*;) tu miraris, et desles, quod *materialia* templa et
„vasa sacra et sacramenta conculcari et profanari permitto; et non po-
„tius, quod - templa, (*quæ non sunt materialia*) videlicet ecclesiasti-
„cæ personæ, seu animæ, mihi in *baptismate* consecratæ, in quibus
„per fidem et veram gratiam habitauî, ab inuisibilibus hostibus *adeo*
„conculcantur, et violantur. Nonne hoc est *in me* maxime injurio-
„sum? Imo, quid mirum, si illud iuste permitto, quando vos ipsi
„sponte sic subditis vos spiritualiter constuprandos ac violandos aduer-
„sariis mei honoris ac vestræ salutis?

§. XI. Porro docet, quod Pontificis romani in hoc officium sit:
„tui ergo officii est, nos omnes Deo nostro reconciliare, ecclesiam
„reformare; quicquid in ecclesia, in cœnobiis, collegiis, omnique
„statu, gradu ac ordine, *reformandum* est, diligentissime perscruta-
„ri: cuncta quoque ordinate aggredi, prosequi et implere, ita, ut,
„quod caritas exigit, a te ipso inprimis. si opus est, et a *sedente ad la-*
„„tus tuum romano sacro Dominorum cardinalium collegio, *cate-*
„„risque domesticis tuis incipias; deinde ab aliis tanto *magis sine inter-*
„„medio, quanto dignitate, officio, *præfectura* tibi ac cardinalibus tuis
„extant propinquiore.

F

§. XII.

§. X. L. c. 584. coll. 555. 556. 587. 589. 591. etc. §. XI. L. c. 588.

42 Cap. XIII. Ab anno clccccliii. ad an. clcccclxxxv. Ecclesia græca;

§. XII. Sed nec dissimulat, se, id hoc modo effectum iri, desperare: „Vidit animo totam triumphantem ecclesiam coram Deo, se submississime inclinantem, et pro tota militante ecclesia ardentissime deprecantem, et quasi conantem tenere manum omnipotentis, extentam ad percipiendum ecclesiam, in exilio isto degentem. „Nec aliud potuit obtinere ecclesia triumphans rursus a Domino, nisi hoc: secundum mensuram emendationis ecclesie, erit mensura temperationis imminentium persecutionum. Ex hac recensio-
„ne frater aliquantulum solatii percepit, et paulisper refectus clama-
„vit animo: o benignissime Deus! omnes emendabimus nos; summus pontifex, curia ejus, ceteri, tam superiores quam inferiores, se emendabunt. Ad quod Dominus (respondit:) etiamsi jurauerint per nomen meum (dicentes:) vivit Dominus: hoc ipso tamen falso jurabunt.

CAPVT XIII.

Ab anno clccccliii. ad annum vsque clcccclxxxv. Ecclesia græca: profecta ab hac ad occidentalem; intuitu arcenda tyrannidis mohammedica.

§. I.

P Rincipes CARTHUSIANUS destructi a Turcis imperii orientalis exemplum ita jubet considerare, ut se simul ad tuendam aduersus eosdem ecclesiam occidentalem impelli patiantur. Eo consilio hortatricem ad principes Europæos omnes scripsit epistolam.

§. II. Ostendit autem, antequam defensio, si eam esse velint prosperam, et potiri victoria, suscipiatur, vitæ christianorum omnibus

§. XII. L. c. 586. coll. 591.

Scripsit epistolam. Inscriptio est: *Epistola ad principes catholicos paranetica, qua per scripturas et tres reuelationes, sibi diuinitus factas, in tempora hæc nostra respicientes, ad generale celebrandum concilium, et bellum aduersus Turcam suscipiendum hortatur.* L. c. p. 555-598.

mnis ordinis, inprimis ipsorum principum et militum fieri debere correctionem omnium.

§. III. En binos locos, quibus, uniuerso populo christiano sui emendationem ante expeditionem bellicam peragendam esse, demonstratur. „Consulentibus igitur, *inquit*, qualiter infidelibus illis sit resistendum, hoc primo et maxime est necesse, ut de generali et condigna christiani populi emendatione prouideant. Nam, ut *vulgo dicitur*, durante et stante causa, stabit et durabit effectus. „Si ergo vos ipsi infidelium illorum rabiem tyrannidemque euadere, et vincere cupitis; hoc primo consulite, ut, quicquid *Dominum, Deum vestrum*, offendit, et quicquid iram ejus contra vos concitat, vere emendetis, tam in vobismetipsis, quam in *subjectis vobis hominibus*, eis potissimum, qui vobiscum sunt pugnam adituri. Placato enim Domino, Deo vestro, et eo vobis reconciliato, atque fauente, poteritis hostibus ejus ac vestris prospere fieri superiores. „Eo autem vobis, quod absit! irascente et indignante propter vestra ac *subjectorum* facinora, qualiter triumphare poteritis? Dominus et saluator noster; *unigena* patris aeterni, sacratissimam fidem, et *omnis macula expertem* euangelicam legem, quas primo proprio ore, deinde per sanctos apostolos in hoc mundo edocuit, per vitiosos et impios christianos, nomine christianitatis indignos, christianæque fidei inimicos, et *aduersus euangelicam legem* rebelles, defendere, exaltare, *amplificare* non dignatur.

§. IIII. „Item sanctus testatur Hieronymus, quod Romanis, adhuc *idololatriis*, Deus *monarchiam permisit*, propter eorum virtutes. „Quodsi queratur, qualiter *idololatriis* illis poterant inesse virtutes; dicendum, quod virtutes naturales et acquisitas habebant. Si ergo virtutes hujusmodi inerant illis *idololatriis*; multo *magis* possunt Sarracenis, tanquam unius Dei cultoribus qualibuscunque, inesse. „Quas eorum virtutes Deus inpraesenti duntaxat remunerat, cum non sint virtutes meritoriae et infusae. Sicque propter eas - (tribuit) eis iustissimus omnium iudex quasdam interdum *temporales* victorias, etiam contra fideles. Idcirco ad expugnandum Sarracenos

„cenos specialiter necessarius est christianis fauor et *auxilium Dei*.
 „Quod qualiter obtinebunt, nisi *secundum* euangelicæ legis *præserti-*
 „*ptum* omnipotenti vere obediant?

§. V. Nunc videamus, quomodo, Carthusiano hortatore, principes, si in bello felices esse cupiant, id a sui ad Deum conuersione inchoare oporteat. Haud esse spei prosperi successus locum, quamquam omnia recte appaata fuerint, ubi is, cuius auspiciis ductuque res geratur, malus sit, declarat: „Exercitui valde periculosum est, principem habere, sequi et adiuuare iniustum. Cum Achas, rex Juda, peccasset grauissime, et pugnaret contra regem *Israelis*; interfecit - rex *Israelis* de exercitu *Achasi* centum viginti millia pugnatorum - die una - Propter blasphemias *Sennacheribi*, regis *Affyrorum*, angelus Dei percussit in castris ejus centum octoginta quinque millia virorum - una hora. Hæc tango - ut *subjecti* de principis sui *habitu animi*, *virtute imbuti*, sint solliciti, omnesque pariter induantur *justitia*, et omni virtute se arment.

§. VI. Iustitiæ jubet illos suscipere studium, abjecto priuatis commodis addicti animi vitio: „quamuis - principes christiani debeant in omni virtute esse perfecti, aliquæ tamen virtutes ad eos specialiter pertinent: quarum una est *justitia*, vel, ut *adfirmat* Augustinus, amor boni communis; ita ut bonum commune, defensionem reipublicæ, et præsertim - fidei christianæ atque ecclesiæ, *concordi animo*, præferant propriis commodis, (atque etiam) *propriæ vitæ*.

§. VII. Eos a bellis intestinis dehortans, ita inducit ecclesiam lamentantem atque obsecrantem: „Præterea hoc nunc *supra* omnia me contristat, et viscera caritatis ac pietatis meæ transfodit, dilacerat et extorquet, quod, non obstantibus tot ac tantis aduersitatibus, cladibus et *membraorum meorum sejunctionibus*, video filios meos contra se inuicem inflammari, dissidere, configere, sicque hostium suorum manus iuuare, ac (eum) illis - operari in diminutione, *et conculcando me*, ac *etiam* dilaniando et (hostiliter) persequendo me, matrem suam moestissimam. Nunc ergo, o filii, *respicite* me, audite me, et acquiescite mihi. Ignoscite (vobis) mutuo, et „cauf-

§. III. L. c. 555. 561. coll. 560. 572. 589. §. V. L. c. 571. §. VI. 575.

causas vestras secundum normam iustitiæ persequimini cum caritate,
confugiendo ad superioris vestri iudicium, (id est) Romani pontificis,
aut synodi generalis, quæ certe a Spiritu Sancto dirigitur. Nolite
me, matrem vestram, in filiis meis, proximis vestris, igne et gla-
dio deuastare, egenos opprimere, ac (vos) inuicem trucidare. Imò
potius per veram (animi) contritionem reconciliamini Deo.

§. VIII. Ne viribus fidant suis, prælia initari, grauius monet ipsos:
Sic itaque, o incliti principes ac viri fideles, sic, inquam, con-
sulite de modo resistendi ac præliandi aduersus perfidos et iniquos,
ut tota spes vestra, cum omni animi demissione et magnanimitate,
firmissime stabilatur in Deo, omni fiducia vana exclusa. Incom-
prehensibilis etenim Deus, qui solus, prout libet, instante momen-
to immutat, corroborat, debilitat, obstupescit animos humanos, et
quocumque voluerit, vertit, eos in ipso congressu variis modis
afficit, et immutat pugnantium animos secundum eorum merita,
vel promerita mala, euidentia vel occulta. Quod nisi sic esset; in-
credibiles essent historiæ præliorum multorum, quæ in sacris reci-
tantur scripturis. Ut ergo, o principes gloriosi, ii sitis, qui in
præliis contra aduersarios fidei feliciter triumphare (possitis;) in-
primis studete pacem habere cum Deo, implendo, quicquid ipse
a vobis requirit, et quicquid perperam actum est, idonee emen-
dando.

§. VIII. Plenius autem his verbis instituendam vitæ corre-
ctionem describit: „Absit ergo a principe christiano omnis inconti-
nencia, omnis intemperantia, auaritia, torpor, elatio (animi.) Hæc,
o principes gloriosi, tanguntur, vt unusquisque vestrum conscien-
tiam suam plene excutiat: sicque animam suam armet, vestiatur ac
perornet virtutibus contra inuisibiles hostes, sicut corpus suum mu-
nit armis contra hostes visibiles. Periculosum est principi, ad bel-
lum procedere, quamdiu obstrictus est aliquo euidenti, latentiue
crimine. Verumtamen multæ consuetudinis deprauationes, vani-
tates, crudelitates, flagitiosæ libidines, negligentia, cupiditates,
iniustitiæ, pompatici luxus, nunc, proh dolor! regnant in quibus-
dam principibus, eorumque ministris: a quibus omnibus nisi se-
iplos

F 3

§. VII. L. c. 597. §. VIII. L. c. 559.

46 Cap. XII. Ab an. c13CCCLIII. ad an. c13CCCLXXXV. Eccl. græca:

„ipfos et suos *ministros* purgare et emendare studuerint: adjutorio Dei
„erunt indigni, nec *expedit* justis principibus, tales injustos se-
„cum habere.

§. X. Quod de militum conditione obiter dixit, alibi pluribus
verbis edisserit: „Quam periculosum sit principi, impios in suo ha-
„bere exercitu adjuutores (vel hoc exemplo) constat - Cum - Ama-
„sias, rex *Jude*, præliaturus contra Idumæos, conduxisset de *Israë*.
„*le* centum millia robustorum; venit ad illum homo Dei, et ait:
„O rex, ne egrediatur tecum exercitus *Israëlis*: non enim est Deus
„cum *Israële*, etc. Hæc rango, ut principes christiani reddantur
„soliciti de reformatione *subjectorum*, eorumque ad *sanctæ vitæ studi-*
„*um traductione*; præsertim, dum cum eis ad prælia sunt ituri: nec
„sceleratos homines in adjutorium *scientos* adsumant.

CAPVT XIII.

Ab anno c13CCCLIII. ad annum vsque c13CCCLXXXV. Ec-
clesia græca: profecta ab hac ad occidentalem: declarata necessitas re-
purgandæ totius ecclesiæ occidentalis; item vaticinatio de futu-
ra ecclesiæ emendatione, et quædam pro hac
suffragatio.

§. I.

Uterius progreditur Carthusianus. Cum declarasset, quid il-
latæ orientali ecclesiæ a Turcis cladis exemplum ex diuino
consilio ab occidentali poscat, quodue parandæ aduersus di-
ros illos hostes securitatis oporteat esse principium, scilicet seriam
omnium hujus ordinum emendationem; ut hæc publice, uniuersali
instituto concilio, procuretur; enixe hortatur. Scribit: „Nunc
„quoque *potissimum*, o illustrissimi principes christiani, contra per-
„sidos congressuri, imprimis (hoc) curetis, (ut) vos ipsos et uniuersos,
„vobis *subjectos* reformetis; quod per celebrationem generalis concii
„poterit aptius adimpleri.

§. II.

§. VIII. L. c. 570. §. X. L. c. 571. 572. coll. 570. §. I. L. c. 572.

§. II. Et alio loco: „Quoniam itaque tam vastitatem, ecclesiae iam il-
„latam, quam imminentem, Deus per diversos viros *virtute prae-ditos, ac*
„*etiam* per feminas sanctas, iam dudum euidenter multifarieque praedi-
„xit, *et in hunc usque diem* imminetia minatur aduersa: quid restat, quid
„vobis, o inclyti principes ac viri catholici, restat et incumbit agendum,
„*si* ut omnes pariter intretis *ades sacras, et misericordiam creatoris ar-*
„*dentissime imploretis!* Deinde, omni mora abjecta, procuretis, *ut*
„*generalis instituat*ur synodus, et vniuersale celebretur concilium: in
„quo de emendatione idonea, de *reformatione* condigna in omni gra-
„du, statu et ordine ecclesiastico sapientissime pertractetur, diligen-
„tissime prouideatur, et (hoc) efficacissime ordinetur, qualiter omnia
„*executioni mandari oporteat.*

§. III. Tandem, versans adhuc in commendando exitii Con-
stantinopolitani usu legitimo, Carthusianus de futura ecclesiae uniuersae
emendatione, statuque florentiori vaticinari adgreditur; suaeque
simul praedictione ei, quae, Lutheri opera, inuito Pontifice, ejusque in-
vitis purpuratis effici coepit, emendationi solidae suum quasi calculum
in antecessum adiecit. Accipe verba ejus: „Etsi *secundum regulam*
„ad summum spectet Pontificem, generale conuocare ac celebrare
„concilium: non tamen putamus, ecclesiam a Domino, IESU
„Christo, sic esse relictam, ut seipsam congregare non posset; si
„Pontifici summo id agere non placuerit, aut (ille hoc) nimis distur-
„lerit; praesertim in causis, ita urgentibus, praegnantibus, arduis et
„necessariis, sicut jam diu fuerunt et nunc sunt.„ Paucis interjectis,
pergit: „anno Domini *MDCCCCLXI.* - religiosus - (de se loquitur)
„ab exterioribus sensibus alienatus, pro communi bono ecclesiae Do-
„minum *supplicibus verbis* orauit - (dicens inter alia:) utinam re-
„formatio ecclesiastici status fieret ordinate, et absque *tui* offensa! Ad
„quod responsum est fratri: etsi hi, ad quos ex jure et officio spectat;
„ecclesiae diligentiam debitam non impendant pro (efficienda) refor-
„matione eadem, et imprimis pro (instituenta) emendatione propria
„et condigna; nonne justo id putas permitti iudicio ejus, qui uniuersae
„moderatur ac temperat, ut *preparationis modo* fiat per eos, qui
„ad hoc auctoritatem non sortiuntur. §. III.

§. II. L. c. 563. §. III. Preparationis modo. Carthus. dispositue
L. c. 590, 591.

§. III. Alio loco: „ad quod frater, (respondet:) benignissi-
 „me Deus, in his *persecutionibus* perfidorum multi simplices et quo-
 „dammodo innocentes *lamentabili modo* opprimuntur et trucidantur;
 „sed et cultus tuus minuitur. Et ubi paullo ante christiana religio vi-
 „guit, et Christi celebrabantur mysteria, jam sacrilega Machometi fig-
 „menta coluntur, et bestia illa spurcissima contra agnum mundissi-
 „mum videtur quodammodo præualere, etc. Dominus dixit: (ego
 „ea præditus sum sapientia, ut) oppressionem illam simplicium, *pos-*
 „*sim* eis (ita) ordinare, ut melius, (quid consequatur;) et per tem-
 „poralia hæc aduersa eos in perpetuum seruo. Tandem subiungit-
 „tur, quod supra jam attulimus: se tam bonum esse, sapientemque,
 „ut mala ista a perfidis (Muhammedanis) inferri non esset passurus, nisi
 „maxima ex illis bona elicere decessisset. Quo maiores hæc sint cala-
 „mitates, quo obscuriora tempora, eo prosperiora esse secutura: au-
 „rea futura esse tempora.

CAPVT XV.

Ab anno c^lo^oo^oo^oLIII. ad annum vsque c^lo^oo^oo^oLXXXV. Ec-
 clesie græca; profecta ab hac ad Muhammedanis: melioris co-
 gnitionis sacræ his impertiendæ, opportunitates, et hæ-
 riendæ excitatum desiderium.

§. I.

NON silendum nobis esse videtur Dei beneficium, quod Muham-
 medanis, orientali christianorum regno potitis, obtigit, ni-
 mirum amplior per cives christianos ad salutarem Christi co-
 gnitionem perueniendi occasio; quæ præter alia præsidia habet codi-
 cis diuini noscendi, usurpandique opportunitatem. Hoc nostra æta-
 te prædicauit Vinarientis theologus, Guilielmus Ernestus B A R-
 THOLOMÆI,

§. II.

§. III. L. c. 585.

Bartholomæi, in Tr. Spuren der Vorforge Gottes für die Muham-
 medaner §. 13.

§. II. Ut a græcis aliquid melioris notitiæ ad muhammedanos adreperet, preparatum quendam Deus procuravit. Fuit in hoc etiam, quod Deus ex malis sapienter elicit, MUHAMMEDUS II. in palatium et ad alia extra illud ministeria adsciuit græcos, nobiles præsertim ac doctos, in iisque juvenes. Commemorantur Trapezuntini, ac inter hos MEHEMMED, Amerutzæ, philosophi peripaterici, ad moslemorum sacra se traduci passi, filius, BERROENSIS præfectus, vir doctrina præstans; sed dolendum est, quod patris exemplum sequutus fuerit, vel potius sequi coactus. Munera christianis demandabantur, in quibus multa scriptiõne opus erat, turcis artem illam plerumque ignorantibus. Græcus apud Crusium: (scribas christianos) secum habebat, qui totius regni administrationem gerebant. Ipsi enim Agareni literarum rudes erant, et indocti plerumque.

§. III. Adsumebantur in conjugium mulieres christianæ; quod, licet intuitu harum malum esset, ac dira calamitas, eo tamen a Deo verti potuit, ut veritatis semina per illas in maritos, prolem et fœminas, quibuscum conuictus erat, injecta fuerint. Diu superstes fuit MARIA, Seruiana, Muhammedi II. nouerca, quam captiuam, cum esset pulcherima, Amurathus II. sibi adjunxerat uxorem. Ille Despotarum Peloponnesi, DEMETRII Palæologi filiam, et THOMÆ Palæologi neptem, occiso hujus patre, Seruicæ rege, duxit. Hujus pater a Comneno Gjura, Despota, ipsa autem Maro vocatur.

§. IIII. CALOJANNES, Trapezuntinus imperator, USUMCASSANI, qui e factione turcomannorum arietis albi primus Persarum rex factus est, filiam, DESPINAM nomine, in matrimonium collocavit. Jovius: „ejus autem connubii lex fuit, ut Usuncassanes Despinam paterno more Christum colere pateretur.” Porro: „cûr autem Calojannes, rex christianus, Usuncassani, viro Mahometano, filiam nuptui dederit, et ille conditionem accep-

G

rit,

Mehemmed. appellatur etiam Achmates, et Achumata.

§. II. *Hist. polit. Cisp. in Cru. 16. 21. 27. 14. Malaxus in Cru. 110. 132. Bgy. X. 371. Cy. 372.* §. III. *Hist. polit. Cisp. in Cru. 18. Ms. 492. Hottingeri hist. eccl. sæc XV. 815. P. Iovii rerum turcic. Comment. B. IIX. (b.)*

„rit, præclare intelligi potest, utrumque, rebus suis timentem, ex
 „ca cognatione mutua præsidia comparare voluisse aduersus impo-
 „tentem vim Othomani, Mahometis, qui, deleto græcorum im-
 „perio, in orientem vires extenderat., Albertus Kranzius matri-
 „monii mentionem fecit, quo ab eodem Principe permilla Turco
 „fuerit filia: „compertum est, quod - Trapezuntinus imperator uni
 „ex Turcorum principibus filiam suam despondisset. Quæ res si-
 „dem ejus non sinceram (esse) demonstrabat, nisi optima intentio-
 „ne speraret, (posse) puellam blandimentis virum ad sacra christia-
 „næ fidei pellicere. Multa metus et regnandi cupido indigna ad-
 „mittunt. Sed non est cœlesti regno idoneus, qui pro terreno cœlestem
 „regem contemnit., Fortassis est hæc, cuius græcus apud Crusium men-
 „tionem facit, scribeas: „Filiam ejus (deuicti imperatoris Trapezuntini
 „pacto non duxit (Muhammedus II.) sed doctori, seu præceptoris) ex
 „suo matrimonio junxit., Calojannes equidem nihilominus imperii ac
 „vitæ jacturam fecit.

§. V. Usumcassanes ab anno clxxxclxxxviii. ad annum
 usque clxxxclxxxviii. Persis imperauit. HARDUELLES,
 regulus inter Persas, doctrina et vitæ austeritate tantam excellentis
 virtutis opinionem apud populum consequabatur, ut rex eum sibi
 generum adsciscere haud dubitaret. Tradidit autem ei MARTHAM,
 quam ex DESPINA susceperat; ista hoc pacto genetrix euasit
 Sophianorum, Persidis regum.

§. VI. Præterea in linguam arabicam turcicamque a græci ge-
 neris iuuenibus studium cœpit conferri. Amerutzæ filius in utri-
 usque linguæ, græcæ et arabicæ, facultate, par fuit. Huc
 quoque referendam putamus ab eodem factam librorum græcorum
 historici ac politici argumenti versionem turcicam. Græcus apud
 Cru-

§. III. conf. loci sub §. V. memorati. §. V. Hist. polit. Csp. in
 Cru. 21. Pauli Joui Comment. rerum turcic. D. VII. (a.) Ejusd.
 hist. edit. Basil. 1560. tom. I. 531. (2.) Kranzii Wandalia p. 286.
 Leben Kuitichans Leipz. 1738. 106. f.

Linguam Arabicam. Videtur quidem a græcis, arabicæ lingue
 mentionem injicientibus, hæc cum turcica subinde confundi. Bgr.
 vol. X. 371.

Crusum: „multos hic vir, rogatu et iussu regis, nostrorum libro-
rum in turcicam transtulit linguam; omnia quidem acta et tabu-
las publicas, codices imperatorios, alia utilia.

§. VII. Nec hoc reticendum est, quod Musicae, quae in vocibus consistit, ac saepe veritatis, pietatisque propagandae instrumentum fuit, cultior disciplina per graecos Muhammedo II. innotuerit. Graecus, a Crusio productus: „Cumque percepisset, Graecorum ecclesiasticae musicae cantores notis quibusdam posse describere cantilenas Agarenicas: iussit in conspectum suum vocari duos cantores; vnum, psaltem graecum; alterum, quem habebat, scientia et suauitate canendi praestantem Persam. Quo persicam cantilenam dulciter canente, psaltes eam - (notis paruulis) comprehendit. Deinde, Sultano iubente, Persa auscultante, illam psaltes cecinit eodem modo; ita, ut tum Persa, tum Sultanus admiraretur. Vtrumque ergo muneribus affecit: admiratus, ut rem novam, ingenium subtile psaltae: ambosque cum gratia et honore dimisit. Fertur etiam Persa ille, qui ita coram Rege cecinerat: postquam audiuisset cantionem psalta, ita feliciter alienam vocem imitantis, quam alias nunquam audiuisset, nec sciret: summam ei reverentiam exhibuisse, ac dixisse: magna est vere dexteritas et eruditio psaltae.

§. VIII. In Muhammedanorum quoque mentem a graecis aliquid utilitatis profectum esse deprehenditur. MUHAMMEDUS II. doctorum virorum, quos graeca habebat ecclesia, exemplo ad capiendum melioris cognitionis desiderium quoddam excitatus esse videtur. Id ex ejus in eruditos christiani generis viros studio apparere arbitror; quod tam generatim obseruatum fuit, quam peculiariter intuitu patriarchae, GENNADII SCHOLARII. Utrumque graeci memoriae prodiderunt. Malaxus: „diligebat quoque viros doctos, eosque non suae tantum gentis, sed cujusuis etiam nationis; imprimis ex christiano genere nostros homines. Autor Politicae historiae constantinopolitanae: clementia porro et benevolentia magna

G 2

„idem

§. VI. *Hist. pol. Cyp. in Cru. 27. Malaxus ibid. 132. §. VII. Hist. polit. Cyp. in Cru. 28.*

52 Cap. XVI. Ab an. c13CCCLIII. ad an. c13CCCLXXXV. Eccles. græc.

„idem hunc patriarcham profecutus est; quod cognouisset, sapien-
tia pietateque singulari præditum esse.„ Præterea ejus religionem
christianam perspicendi cupiditas aperte ab eodem indicatur: „iden-
tidem aliquid cognoscere, et certior fieri de fide christiana studébat.

CAPVT XVI.

Ab an. c13CCCLIII ad annum usque c13CCCLXXXV.

Ecclesia græca: profecta ab hac ad Muhammedanos; exem-
pla impertita: melioris cognitionis sacræ per colloquia.

§. I.

NEc tantum in Imperatore veritatis cognoscendæ quædam nata
est, auctaque cupiditas; sed sacræ quoque, quam christiane
genti concedidit Deus, cognitio aliqua ei obtigit, colloquio
maxime familiari, quod inter ipsum et GENNADIUM patriar-
cham, intercessit. Ad illud vero attulit, quod ex nouerca, christi-
ana, perceperat; quod didicerat ex aliis christianis constantino-
politans, cum adolescens inter illos degeret; et sapientiæ, probi-
tatisque opinionem, quam fama tribuebat patriarchæ.

§. II. Nouerca, MARIA, despota Seruiani filia, Muham-
medum II. educasse dicitur, ejusque memoriæ infixisse orationem
dominicam, et, quam vocant, *Angelicam Salutationem*. De ejus
commoratione constantinopolitana hæc tradit græcus: sciuit, græ-
cis semper fuisse patriarcham; propterea quod hac in urbe, antequam
eam cepisset, ipse majorem temporis partem exegerat, patre ipsius,
Murata, Adrianopoli dominante. Norat itaque res græcas, et or-
dines gubernationemque græcorum, probe et exacte.

§. III. Urbe igitur expugnata, statim de patriarcha inquisi-
uit, desiderio de religione cum eo colloquendi incensus. Patriar-
chæ munere Gennadio, Imperatoris permisso, demandato, postea
hic ades, quas ille incolebat, ingressus, in sacello familiarem cum anti-
tisti-

§. VIII. Cru. 28. post med. 108. 27. §. I. Cru. 126. med. 194. med.
§. II. Cru. 107.

ritite isto habuit de doctrina christiana sermonem, data iurejurando potestate omnia libere dicendi. Tum Gennadius ad propositas ab imperatore interpretis verbis quaestiones, ingenue respondit, ac longum habuit sermonem, qui religionis christianae demonstrationem habuit ac commendationem.

§. III. Imperator reuerenter auscultauit; pluribusque indiciis patuit, dicta ei non visa esse contemtibilia. Graecus colloquio recensito subiecit: Sultanum magnopere antistitis cognitionem diuinarum rerum, et sapientiam, suspexisse: certumque factum, totam religionem christianam verissimam esse, mysteria ejus non modo vera, sed etiam mirifica; nullum his subesse dolum, sed illa puritate et splendore aurum superare. Magnopere ipsum gauisum, quod se talis nationis regem fieri contigisset. Certe rumor fuit, illum de sua religione dubium esse factum. Habiti colloquii apud alios cum laude fecit mentionem; saepeque patriarcham ad se vocauit, et benigno illum colloquio dignatus est.

§. V. Georgius AMERUTZA, philosophus et Magnus aulae Trapezuntinae Logotheta, regia hac a Muhammedo II. subjugata, captiuus, saepe ab eodem de christiana religionis mysteriis interrogabatur; unde subtilia nata inter eos sunt colloquia. Quod ille ita refert: „postquam, subactis jam graecis „omnibus, patriaque mea in captiuitatem adducta, ipse etiam „seruus illius effectus sum, qui romanos ciues graecosque homines „dominatu suo nunc premit: isque, litterarum studiis et philosophia se oblectans, „nostro audito nomine, in colloquium meum venit; meque, inter familiares acceptum, iussit continue apud „se esse, atque exercitum pone subsequi; ac saepenumero de philosophicis rebus mecum locutus est, nihiloque minus et de utriusque „gentis dogmatum differentia: ubi solum id quaerebatur, nostrane „Christianorum fides communibus sit consona notionibus, cum tamen de sua religione ac fide ne mentionem quidem ullam fieri permitteretur.

G 3

§. VI.

§. III. *Hist. polit. Cisp. in Cru. 16. Malaxus ibidem 107. med. 109. 120.*

§. V. *Crus.*

§. VI. Deinde multum Imperator cum aulicis, et ministris aliis, natione græcis, inter quos eruditione præstitit AMERUTZÆ filius, de doctrinæ christianæ capitibus colloquutus est, diligentissime de his sciscitans. Malaxus: „nunquam finem ex eo, (filio Amerutzæ) ut erudito homine, et ex aliis doctis aulicis de fide christiana sciscitandi Sulcanus faciebat: qui ei quoque articulatim et exquisite capita et sententiam ejus edisseruerunt. Porro ad colloquium adhibuit MAXIMUM, patriarcham Constantinopolitanum, a multis litteris commendatum.

§. VII. Quid colloquia in animo ejus effecerint, cum ex descripti colloquii gennadiani clausula quodammodo intelligi potest, tum his verbis ab historico græco aperitur: „e quarum rerum auscultatione magnam ipse capiebat voluptatem.

§. VIII. Habuit quoque Gennadius cum duobus Turcis primariis, qui eum per litteras ex monasterio, Ferras, ad se venire iusserunt, de diuinitate Christi disputationem.

§. VIII. Probabile admodum est, cum aliunde, tum maxime ex DESPINÆ consuetudine aliquid notitiæ melioris ad USUM-CASANEM peruenisse, si, quod tuendi aduersus Turcum christianos cepit, consilium intuemur, ac ipse ad romanum pontificem legationem, quæ inter alia ista ejus attulisse dicitur verba: „se quidem victoriam ex hoste reportasse, adiutum precibus illius ad Deum (effusis;) ejusque beneficii, diuini potius, quam humani, se aliquando memorem futurum.

§. X. MARTHA, imperatoris Trapezuntini neptis, ipsa quoque, ut conjicitur, Christi alumna, in HARDUELE, muhammedano, maritum habebat, qui laudatur, quod honores, diuitias, voluptates et cultioris vitæ commoda, vulgo appellata humanæ felicitatis munera, veras ærumnas, fortunæque ludibria existimauerit. Hic nouæ sectæ moslemicæ, quæ in Persia hodieque viget, et adscita Haly autoritate firmata est, institutor, cum in malam suspicionem adfinis, Jacuppi, Persarum regis, venisset, innocens

§. VI. Cru. 132. f. 133. 27. §. VII. Cru. 132. fn. §. VIII. Bgr. X. p. 372. num. 25. §. VIII. Kranzii Wandalia 286.

cens a submissis percussoribus interfectus est, ejusque sectatores aut cæsi aut pulsi sunt. Conjux ejus, dicta Martha, filio, ISMAELI, religionis christianæ elementa instillasse, similemque ei ab auia, DESPINA, Usumcasanis conjuge, institutionem obuenuisse, fertur. Jovius: „Unde (nempe ex concessa Despinæ christianæ religionis retinendæ libertate, et cum ab illa eadem sine dubio in filiam transfusa fuerit) postea obortam in Europa opinionem videmus, Hysmaelem Sophum, tanquam auia matrisque disciplina imbutum, christianos homines, nusquam improbatis eorum sacris, in honore semper habuisse.

CAPVT XVII.

Ab anno cloccccLIII. ad annum vsque cloccccLXXXV. Ecclesia græca: ab hac profecta ad Muhammedanos; exempla impertitæ melioris cognitionis per scripta et euenta; item profecta ad Judæos.

§. I.

Quo orta ex sermone, qui patriarchæ, Gennadio, cum Muhammedo II. fuit, cognitio plenior fieret, duraret, ac latius inter Muhammedanos propagaretur, diuina factum est prouidentia, ut hic omnem eam dissertationem ab illo litteris mandari, suis distinctam capitibus, voluerit. Obsequutus est patriarcha, et scriptum græce composuit, XX capita complectens, quod hodieque extat. Id statim a MEHEMMEDO, Berræ præfecto, in turcicam linguam translatum est. Hanc versionem non minus, quam græcam scriptionem, postea Crusius, Tubingensis, euulgauit; illaque mereretur, ut litteris arabicis: græcis enim et latinis tantum expressa est: nostro æuo in Turcorum usum seorsum ederetur. Perlectus, intellectusque libellus in imperatore effecit admirationem ac venerationem.

§. II.

§. X. Paul. Iouii Hist. to. I. 531. (a. b.) 532.

In turcicam linguam Græcus scriptor hanc procul dubio intelligi vult, turcico arabicum memorans; cujus appellationis rationem in litteris arabicis, quibus Turci utuntur et in multis vocabulis arabicis, que sue indiderunt lingue, sitam esse puto.

§. I. Cru. 109-119. 16. Bgr. VI. 696. X. 356. 370. 371.

§. II. Ultimo vitæ spatio idem patriarchæ, MAXIMO, negotium dedit Symboli christiani, cujus prima verba sunt: credo in „unum Deum, patrem omnipotentem, scribendi expositionem, precibus cum juvenum aulicorum, Christo etiamnum adhaerentium, cum filii AMERUTZÆ, adductus. Paruit Maximus, et esacra theologorum disciplina commentarium omni cum libertate conscripsit. Oblatum scriptum, et in turcicum sermonem conuersum, Muhammedus clementer reuerenterque accepit, accurate legit, et magna inde voluptate adfectus est. Idem Amerutzæ filius multos quoque alios de religione christiana libros Imperatoris jussu in tureicam linguam transtulit.

§. III. Græco sermone GENNADIUS euulgauit librum inscriptum, „Interrogationes et responsiones de diuinitate Domini „nostri, IESU Christi;„ is continet, quod in disputatione cum duobus turcis, de qua supra diximus, pertractauerat.

§. IIII. Habitorum cum Muhammedo II. colloquiorum summam fecit Georgius Amerutza, philosophus; scriptique istius hæc extat inscriptio: dialogus de fide in Christum, cum Rege Turcorum habitus. „In præmio ita satur: „Cumque (Muhammedus II.) multos mecum „sermones, quosdamque illorum haud plane *despicatui habendos instituisset*; multaque vicissim ego etiam disseruissem, dum videlicet „refellerem, quæ ab eo adducta fuerant, doceremque, christiano- „rum dogmata ne communibus quidem notionibus aduersa esse: h- „buit sane ipsa hæc, quæ variis in congressibus ultro citroque dicta „sunt, composita publicare; ut hinc pii probique homines contra ad- „uersariorum rationes stare possint, neue minus veritati, quam ipsi „mendacio tribuatur.„ Verisimile autem non est, philosophum hunc ad præscriptum doctrinæ Christi, quam subtiliter exponere, rigideque tueri valebat, animum vitamque composuisse; alioqui tam facile ab illius professione ad Muhammedica sacra se non passus esset traduci.

§. V. In Malaxi historia res quoque mira, quæ apud MUHAMMEDUM, vitæ termino propinquant, multum valuerit, memoratur. Illam verbis ejus exponam, pleno lectori de ea relicto iudicio.

§. VI.

§. II. Cru. 27. 132. §. III. Bgr. X. 372. num. 25. §. IIII. Crus.

§. VI. „Inter cætera, quæ ei (Imperatori) indicarunt, etiam hoc dixerunt: quoscunque christiani pontifices et sacerdotes legitime ob peccatum aliquod admissum sacro cœtu ejiciant: nec occupent eos, dum in viuis sint, emendare: ut expientur ab illo lapsu, propter quem ejecti fuerunt; eorum cadauera, ita in exilio spiritali mortuorum, non dissolui a terra; sed remanere tympanorum instar inflata; nec, si mille etiam transierint anni, omnino a terra consumi, sed restare integra, sicuti humata fuerint. Interrogauit amplius: num iidem possunt; data absolute, rursus dissolubilia facere ea corpora? Responderunt illi, posse. Ipse, miraculo hoc audito, admiratus, cohorrui: nec aliud præterea quicquam interrogauit; sed confestim patriarchæ (Maximo) nuntiarî iussit: quæreret hominem, communionem ecclesiæ exterminatum, ante longum tempus vita defunctum.

§. VII. Patriarcha, accepto eo nuntio, exterritus est, ac statim accitis clericis Sultani verba exposuit; mirati sunt. Incidit patriarcha cum ipsis in grauem curam; huc illuc cogitationem voluebant, vbinam tale iamdudum *segregi statui* immortalis hominis cadauer reperiri posset. Cumque nihil ipsis, quid facerent, in præsentia in mentem veniret: aliquot dierum spatium ad dispiciendum a Rege petierunt. Quo accepto, animum per omnia versantes, de tali cadauere cogitant.

§. VIII. Postquam deinde narrasset Historicus, quosdam recordatos esse sœminæ impuræ et calumniatricis; quam Gennadius, patriarcha, societate ecclesiastica excluderat, pergit: „terra corpus ejus non dissoluit; verum tam inconsumta integraque remansit, quam erat, quando sepeliebatur; sed ne crines quidem capitis ejus defluerant: verum perinde ipsa se habebat, ac mulier aliqua viua; nisi quod non loquebatur. Et tamen multi anni a condemnatione ejus abierant. Hujus, inquam, mulieris recordati sunt clerici; eam (videlicet) adhuc eiectionis vinculo constrictam teneri; quam bene sciebant improbissimam illi beato patriarchæ, Gennadio, calumniam intulisse. Conuentu igitur coacto, palam dicunt: se scire mulierem, iusta sententia patriarchæ, Gennadii, a sacris exclusam.

H

§. VIII.

§. VIII. „Patriarcha, Maximus, audito, cadauer - (segregatæ mulie-
 „ris inuentum esse, iussit locum quæri, in quo sepultum jacebat; ut, se-
 „pulcro aperto, inspicerent, et de re certiores fierent. Missi sunt, qui
 „quererent. Sepulcro inuento, gaudere patriarcha, ex templo cum Cle-
 „ro, comitatus magno regis Tzauscho, eo currere. Tunc, aperientes ejus
 „monumentum, cadauer saluum et integrum repererunt. Erat id
 „nigrum, et tympani modo tumefactum. Quod quicumque vide-
 „runt; valde miseriam illius desseuerunt: horrendo Dei in ipsam
 „judicio et condemnatione perterriti.

§. X. „Tunc statim Patriarcha cum Tzauscho (regis) Ministris
 „indicauit, qui Sultani nomine cadauer (segregati hominis) inquiri -
 „jusserant.) Inuenimus, inquit, tale; renunciate Regi, (ac inter-
 „rogate,) quidnam velit amplius fieri. Illi, miraculo hoc audito;
 „currentes venerunt, Regique annunciarunt. Rex, ut rescituit,
 „misi aliquot fideles ministros: qui inspexerunt, et vehementer mi-
 „rati sunt. Reuersi dein ad Sultantum, ei formidandam rem, quam
 „viderant, exposuerunt. Tum Sultanus accersit quosdam suo-
 „rum purpuratorum; quibus dedit sigillum suum, - (jubens) in
 „loco certo cadauer reponi, ibi tuto includi et obsignari.

§. XI. „Abeuntes illi, viso miserando corpore, obstupuerunt;
 „(illudque) in quoddam Pammacaristæ sacellum transtulerunt, ar-
 „camque, in qua inclusum jacebat, regio sigillo obsignarunt. Post-
 „ea quæsuerunt ex patriarcha, quidnam de cadauere futurum esset,
 „et, quid responsi Sultano referre deberent: videlicet, ad quod
 „tempus futurum esset, ut dissolutio illius, et dissipatio, veniam a
 „Deo consecuti, fieret. Respondit Patriarcha: canam ego super
 „illo - (formulas,) quæ nobis præscriptæ de segregatis sunt: et quas
 „quotidie preces habemus, recitabo. Quibus utrisque peractis, scri-
 „ptum, quo mulieri sua peccata remittantur, ad Liturgiam recita-
 „bimus. Tunc vos arcessemus, ut efferatis corpus.

§. XII. „Paucis diebus post patriarcha absolutionem ipsius com-
 „posuit; proceribusque illis nuntium misit, ut venientes exporta-
 „rent e sacello arcam cadaueris, ut super eo Liturgia fieret. Con-
 „festim

„festim de voluntate Sultani adfuerunt: et arcam cum cadauere,
„intus jacente, sicut obsignata erat, extulerunt. Tum Liturgia fre-
„quentissimo conuentu pontificum, diaconorum, omnisque chri-
„stiani populi facta: stat patriarcha post ejus finem, intima (cum)
„affectione animi, multis cum lacrymis: litterasque absolutionis il-
„lius, quas ipse sua manu perscripserat, recitat. - Recitante patri-
„archa absolutionem, compages corporis inuicem separari, inter se
„dissolui, in medio arcæ: ita ut, quotquot, prope eam stabant,
„audirent crepitum ossium, a se inuicem recedentium: dissoluere se
„toto corpore: singulis se compagibus diuellentibus: corpore illius
„miseræ, quæ sanctissimum patriarcham falso criminata fuerat, ve-
„niam consecuto, etc. Deinde, peracta liturgia, arcam cum cada-
„uere tollentes, reposerunt (illam) in eodem, ubi antea fuerat,
„sacello; idque de sententia et mandato principum, a Sultano mis-
„serunt. Quod cum intus deposuissent, clauerunt fores, et ob-
„seruarunt, sigillumque regis impresserunt; ei rei causam dante in-
„numera populi multitudine.

§ XIII. „Inde, post dies aliquot remouerunt signum; quo
„sacellum, deinde alterum, quo arca obsignatum erat, et seram
„clauem aperuerunt - (tum) corpus in arca reperere dissolutum, dis-
„sipatum, denique misericordiam consecutum, etc.

§ XIII. „Continuo primores, ad regem currentes, totum
„illi cadaueris negotium ordine perconsuerunt: quam scilicet ob cau-
„sam segregatum fuisset; qua ratione condemnationem culpæ accep-
„pisset, quo denique modo os ab ossibus abscississet. Quibus cunctis
„Sultanus auditis, supra modum admiratus est, et tanto miraculo
„stupuit. Profecto religio christiana, inquit, extra controuersiam
„vera est. Ab eo tempore, beneuolentia maiore et amore Meche-
„metam Begum, Amerutzæ filium, persecutus est, qui ei de ea re
„dixerat: quæ ipso exitu vera comprobata fuit.

H 2

§. XV.

§. XIII. Cru. 133. 127.

§. XV. Hæc politicae historiae Constantinopolitanae scriptor confirmavit, PHILIPPUS CYPRIUS, ecclesiae Constantinopolitanae Protonotarius: „idem (Maximus, patriarcha) presbyterissam, quam patriarcha, D. Gennadius, vincam, a communionone secreuerat, jejuniis sanctisque precibus, mandato imperatoris, absoluit. Hoc quippe, ut fidem christianorum experiretur, iusserat.

§. XVI. Gennadii quaedam quoque circa Judæos cura spectata est, binosque græce componentis libellos; quorum alter colloquens inducit christianum et Judæum, hoc præditus titulo: „Confutatio erroris judaici ex scriptura ac rebus gestis, et ad christianam veritatem cohortatio,“: alter prophetarum de Messia locos continet, cujus hæc est inscriptio: „collectio vaticiniorum de Christo, quæ magis perspicua sunt,“

CAPVT XVIII.

Ab anno c̄l̄cccc̄LIII. ad annum vsque c̄l̄cccc̄LXXXV.
Rutheni; Nestoriani et Habessinî.

§. I.

SOPHIA, Constantini Palæologi, cum cujus vita christianum imperium orientale a Muhammedanis euersum fuit, neptis ex fratre, Thoma, in Poloponeso despota, stirpi regiae ruthenice inferta est. Sponsæ, præter alia munera, dotis nomine, Pontifex romanus sex millia aureorum donauit. Kranzius: „Eaque quæ spes fouebat pontificem, Sixtum, inclinatum iri a puella maritum, ad suscipiendos ritus ecclesiae romanæ; sed illa nolens volensque in ritus Russorum orientales, quibus pater quoque ejus addictus esse pergebat, concessit. Quinque circiter post annos ejus maritus, Ioannes, Magnus Dux, Tartarorum, Muhammedanorum, jugum deicere cepit, sub quo Russia CCL circiter annos serua fuerat.

§. II.

§. XV. Cru. 27. Cy. 365. Conf. Hotting. hist. eccl. sac. XV. 275. qui s. adueris quidem integritatem naturæ viribus subiectum iuit, at dissolutionem eleuare omisit. §. XVI. Bgr. X. 371. 372.
§. I. Cru. 18. Onuphræus 322. Frey. 331.

§. II. Ex ora Pomeraniæ, Belgio et aliunde mercatores per mare Balticum in Russiam transmittere solebant. Lubecam ab urbe Romæ venisset Principis Moscoviæ sponsa, Sophia, ciues eam magno honore susceperunt, tum nobilitatis suæ et pontificis respectu, tum quod sperabatur, illam in mercatores Lubecenses, apud Ruthenos negotiantes, ad omnem gratiam et benevolentiam propensam fore.

§. III. De Nestorianis hoc obseruauit MOSHEMIUS: „nec usquam his in regionibus (Asiæ ulterioris) amplissimis vestigia certas christianæ veritatis, præterquam in China, in qua Nestoriani generis tenues quædam reliquiæ ex densa veluti caligine emicant. Constat enim, hac adhuc ætate supremum Nestorianorum in Chaldæa pontificem in Catajam et Chinam misisse certos homines, qui cætus, in remotioribus prouinciis viuentes, aut latentes potius, episcoporum loco regerent.

§. IIII. Habessinæ, regno christiano, hoc tempore præfuere ZERA JACOBUS, BAEDA MARIAMUS, ALEXANDER; quorum ille insignis appellatur imperator, atque externarum rerum studiosus fuisse dicitur; iste in matrimonio HELENAM habuit, a pietate religiosa, prudentia, magnoque animo laudatam.]

CAPVT XVIII.

Ab anno cl̄CCCCLXXXVI. ad annum usque cl̄l̄o.
Orientalis ecclesiæ, generatim spectata.

§. I.

Alterum sæculi hujus spatium ab anno cl̄CCCCLXXXVI. ad illius finem pertingit; cujus initium est a Lusitani Regis conatu opem ferendi ecclesiæ orientali, speciatim Habesinis.

§. II. Pos. I. 5, 12. Kw. 297, m. §. III. Moshemii Instit. hist. christ. antiq. 807. §. IIII. Iouins. I. 867. Da. 82. Lu. L. 2, c. 65.

finis. Ioanni II, qui usque ad annum *clcccclxxxv*. in Lusitania regnavit, propositum erat, pluribus locis apostolicam disciplinam, vetustate jam obsoletam, per administratos idoneos renouare. Constanti quippe fama didicerat, non paucos in oriente superesse populos, qui acceptum a Christi nuntiis euangelium et tradita sanctissima bene viuendi instituta, sed, tempore procedente, multis deformata vitii, utcunque retinerent. Viros aliquot, lingua arabica edoctos, in regiones orientales, ad regem quoque Habessiniae mittere decreuit. In quibus erant Alfonso a PAIVA, et Ioannes Petrus COVILLANIUS, uterque Lusitanus. II, die VII. Maji, anno *clcccclxxxvi*. iter ingressi, Adenem cum peruenissent, ab inuicem discesserunt: Alfonso in Habessiniam, in Indiam Couillanius. Huic Rex negotium dederat Presbyteri etiam Ioannis imperium inquirendi, cuius sedes in TARTARIA fuisse, et ciues habuisse fertur Nestorianos.

§. II. Qui Ioanni successit, EMMANUEL, aliquo religionis christianae propagandae studio, praeter alius generis incitamenta, permotus, maiorum caepa prosequutus est. Misit Vasum Gammam cum quatuor nauibus, qui mari iter in Indiam quaereret; eique imprimis mandauit, ut Christi fideles cultores, quotquot in illa regione superessent, omni ope atque auxilio subleuaret. Profectus Gamma tandem anno *clcccclxxxvii* Promontorio bonae spei superato, primus circumnauigauit Africam, et ad Indiam orientalem peruenit. Hac via expeditior longinquiore ecclesiae orientalis familiis succurrendi nata est occasio, in hunc usque diem constans, nec prorsus neglecta; at, ut speramus, in posterum veris fructibus futura spectator.

§. III.

§. I. *Maf.* 1590. 11. 12. 32. 33. 38. 46. 47. 89. 110. *Da.* 6. 7. 9. 10. *B. Tellez l. 1. Iou. lib. XII.* 461. *Lu. lib. 2. c. 6. n. 7. Mt.* 17.
 §. II. *Maf.* 11. 12. 33. 38. 46. 47. 89. 110. *Da.* 6. 10. *B. Tellez. l. 1. Iou. lib. XII. p.* 461.

§. III. Anno cloccccLXXXVI. Martini CABATNICI, Husitæ, qui orientalis ecclesiæ sedes quasdam perlustrauerat, bohemicæ edita est de peregrinatione sua narratio.

§. IIII. ISMAEL, cognomento Sophus ex matre natus christiana, Martha, Calojannis, Trapezuntini regis, nepte, et per tumultum mire seruatus, auunculi non solum vitauit sæuitiam, sed, sublato e medio tyranno, sexque aliis post eum regibus extirpatis, anno cloccccLXXXVIII. regnum Persicum occupauit, idque ab ejus posteris, in tertium usque sæculi nostri decennium possessum fuit. Cæterum Ismaël illè christianos benigne tractauit.

CAPVT XX.

Ab anno cloccccLXXXVI. ad annum vsque cloclo. Ecclesia græca: profecta ad hanc a Muhammedanis, et christianis occidentalibus.

§. I.

GRÆCI NAUPACTENSES sese dedentes duci turcico; Mustaphæ, hoc deprecatore apud BAJAZETHEM usi, nihil fere priuatæ rei amisere; jussi insuper sunt omnes urbem incolere per quinquennium, ab omni tributo immunes; post quinquennium vero iis conditionibus, quibus, dum in Venetorum ditione essent, vixerant.

§. II. CAROLO VIII. juuene, Gallix regnum capeffente, erant in aula, qui Græcorum imperium ad Gallos pertinere jactabant. Alii, nouum bellum moliente Turco, principam segnitiam inculabant, dicentes: futurum esse, ut christiana respublica, dum omnes Europæ reges pristinae pietatis atque virtutis obliuiscantur, aliquod insigne detrimentum capiat: nec tantam, si ab eo hoste letale vulnus infigatur, ad alias gentes, quantam ad Gallos
vel

§. III. Reg. 35. §. III. Iouius, lib. XIII, 531. (a.) Leben Kuntlickaus, 109. §. I. Tubero. 173.

vel infamiam, vel publici decoris jacturam esse peruenturam; quod uni omnium Galli omni tempore rem christianam aduersus barbarorum injurias peculiari studio protexissent. Memorabatur, armis Græciæ populos a tyrannide muhammedica liberandos esse.

§. III. Superuenit Ludouici Sfortiæ, Mediolanensis Ducis, legatus, hæc Regi repræsentans: ipsi præclara et constanti fama hominum sacri belli prouinciam decerni, ut Constantinopolim, ubi majores ejus aliquandiu regnauerint, e manibus immanium barbarorum eripiat, atque inde demum profectus, sacrosanctum Christi sepulcrum christiano nomini vindicet. Epirotas, Ætolos et Peloponnesi gentes suppliciter opem ejus implorare, ut, ipso autore, consilia repetendæ libertatis audacter explicent.

§. IIII. His incitamentis, non tam ex misericordia erga Græcos, quam improba priorum emolumentorum cupiditate profectis, inflammatus Carolus, rem anno circiter cl^oCCCCLXXXVIII. aggressus est. Sed, quod, eorundum consilio, Neapolitanum regnum antea occupare nitebatur, ut inde breuior in Epirum et Macedoniam esset trajectus; pontifice, Alexandro VI. aliisque Italiæ principibus libertati suæ a Gallica superbia metuentibus, ac prospicientibus, et cum ipso Bajazethe, Turco, colludentibus, in nihilum recidit Gallorum conatus; qui etiam, neapolitano luxu effæminati, et ad transmarinam expeditionem ineptiores redditi, sequenti anno Italiam turpiter relinquere cogebantur.

§. V. Interim ex fæda collusionione, Dei adgubernante bonitate, id consequutum est, ut BAJAZETES promitteret, se nunquam, dum vita maneret, moturum ultro arma aduersus christianos, secus ac Muhammedus, pater, et auus, Amuratus; qui, christiano nomini maxime infensi, continenter bella gerendo, nunquam ab inferenda injuria cessauissent.

§. V. P. Iouius l. 25. 26. 27. 28. 29. 43. 94. 97. 100. 120. 166.
Tubero. 190.


VIRO PRÆSTANTISSIMO,
RESPONDENTIS
AGENTI PARTES,
S. P. D.
PRÆSES.


Equidem Te, Optime BACKI, si solo delectu meo constitui potuisset, qui in secundo hoc disputandi exercitio mihi sociam operam commodaret, præterissem. Fecit nempe amicus, cui plures noti erant, quam mihi, qui ad id officii apti essent et proclives, ut Te, illo internuntio, ad istud suscipiendum invita- rem. Alioquin, ut dixi, Te præterissem; non diffidentia: in pau- cis enim tantum fiduciæ, quantum in Te, repono: sed, quod jam mu- nus administras, occupationibus refertissimum; et, quod, si Tibi in arenam hanc descendere liberet, Te statui Tuo convenien- tius putaturum esse credebam, proprio Marte elucubratam scri- ptionem in eruditorum examen proferre, et publice tueri, quam defen- dere alienam. At, quo intelligatur, quid illud sit, quo mea de Te nitatur fiducia, et quodnam jam geras munus, cujus habuerim ra- tionem; de utroque, quantum loci angustia patitur, nonnulla me- morabo. Patria schola cum ingenium, quod Tibi benignissimus tri- buit Deus, non caperet; ei singularis ista contigit felicitas, ut ma- jorem culturæ Tui partem doctissimus PATER, sacrorum diœceseos Freyenwaldensis Antistes gravissimus, ipse sibi vindicaret. Hoc magi- stro linguas præsertim sacras, hebraicam ac græcam, percepisti; et ipsius Theologiæ nactus es institutionem, et accuratam et succi ple- nam. Habet omnino solitaria discendi ratio, quod dudum observa- vit Quintilianus, hoc incommodum, ut discipulus facile fatiscat; cum contra frequens condiscipulatus mirum quantum animos exci- tet. Verum enim vero si, qui est in disciplina solus, indole præ- ditus fuerit erectiori, et attentione constanti, tum hunc citius et lon- gius reliquis in litterarum studio prouehi posse nemo inficias ibit; et præterea ille hoc fruitur commodo, quod moribus ejus magis consu- litur fugiendo turbam hominum ejus ætatis, quæ est ad vitia maxi-
me

me prona. Ex successu patuit, in Te fuisse, quæ requiruntur, si
prodesse debeat solitaria institutio. Annos circiter natus sedecim, cum
longe a pruritu blanda studiosi academici sorte potiundi abesses, et
potius cupidissimus esses in gymnasium aliquod te conferendi; illi,
qui Tuos in studiis progressus Te melius nouerant, et quod rebus
tuis magis congruens esset, Te dignum iudicarunt, qui studiorum
academicorum curriculum ingredereris. Paruisti; et in ciuium nostro-
rum numerum anno d. 16CCXXXVI receptus es. Quæ hic stu-
diorum ratio abs te inita fuerit, schedula, quam, me volente, de
illa scripsisti, his aperit verbis: „Scholis V. S. R. D. FRANCKII,
„D. MICHAELIS, D. BAUMGARTENII, B. CLAUSWITZII,
„D. KNAPPII theologicis, philologicis et historicis interfui, nec non
„Excell. STIBERITZII et MEYERI collegia (philosophica) fre-
„quentauit. Spiritus Sancti quoque gratia auditionem veri-
„tatum diuinarum non sterilem esse permisit; sed ad seriam
„pœnitentiam (me) mox initio curriculi academici excita-
„uit, et hucusque me, infirmum ac miserum, conseruauit.
„Utinam in hoc quamplurimos nanciscereris imitatores, qui studium
suum theologicum a sincera sui ad Deum conuersione inchoarent;
quantus inde in ecclesiam uniuersam esset redundaturus fructus! Ali-
quandiu in discendo Tibi soli vacasti; deinde biennio amplius simul
docendo proficere studuisti, loco inter Orphanotrophei, seu, si dice-
re, quod res est, licet, ac illud ex maiore sui parte, et cum eo, quod
adjunctum est, spectetur, Gymnasi potius suburbani, ejusque per Euro-
pam celeberrimi, et ex eadem frequentissimi, præceptores accepto. Tan-
dem scholarum ejus germanicarum dimidiæ parti, ut Inspector, præse-
ctus es a Ven. DIRECTORE, Id, in quo hujus prudentia et circumspe-
ctio acquieuit, dum Tibi, ista tua ætate, tantum crederet ac demandaret,
Tibi plus laudis jam attulit, quam omnia mea adferre possent elo-
gia; quibus abstinere et christiana iubet modestia, et poscit submis-
sus Tuus de Te sensus: quem Deus, cum reliquo Bono, quod ani-
mo Tuo intulit, conseruet, augeat, et ecclesiæ Christi reddat
fructuosissimum! Scr. Halæ d. XVI. Dec.

d. 16CCCLI.

) o (







noxios producant effectus, a nobis nunc expenden-
hic quotidiana deprehendimus obseruatione, quod,
tenerorum delicatulorumque hominum molles ma-
corporis duri contrectatione aut tritu atteruntur,
tenera atque mollissima cum nerueis cutis papillis
r, immo nonnunquam destruantur dissoluanturque.
untur inflammatio, erosio cuticulae, hydatides, quid?
protrahatur talis inconsuetus labor, vesiculae gan-
quod si porro saepius frequentiusque repetatur talis
dum nimis comprimit exprimitque liquida ex vasis
a palmae et plantae manuum pedumque: efficit
illarum vasculorum, *binc tegumenta illarum par-*
reddit. Subinde quoque ex inflammatione cutis,
nominauimus loco, nascuntur dein, postquam par-
ae iterum consolidatae sunt, clauis in digitis pedum,
ro ganglia et ossa sesamoidea. *Ex his itaque pa-*
oribus, loco motionis adhibitis, manus et pedes mi-
inc ad multas actiones, quibus destinantur, minus ido-
r genesin autem excrescentiarum praeternaturalium
vicinas partes neruofas, et dolores inflammationes-

ous itaque, femellisque teneris nunquam conueniunt labores
inconsueti, motionis loco instituendi. Namque si vel
tendamus ad noxios effectus hic adductos: illis tamen,
eiusmodi labores nullum adferant delectamentum, nec
edio peragantur, neutiquam conducent: vt superiori iam
tum dedimus commentatione (§. XXVI.).

§. XXX.

ali porro hominum determinatione quaedam mo-
noxiae euadere possunt, si promiscue adhibeantur.
n illarum partes quasdam corporis singulariter ad-
fit, vt, si in hominibus, qui singulari partis cu-
F 2 iusdam

